



[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

15  
1. 2.  
2. /  
2.  
16  
1.  
16  
1.  
16  
1.  
2. 0.  
16  
1.  
16  
1.  
16  
1.



359  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
De

22  
A  
QVINQVAGIN-  
TA IUSTINIANI DE-  
CISIONIBVS.

1631 2  
Quam

PRESIDE DEO TER OPT. MAX.

35  
Ex decreto Amplissimi Jctor. Ordinis in ce-  
lebramâ Noribergensium Universitate,

PRO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS IN UTROQUE JURE RITE  
CONSEQUENDIS,

Publico examini subijci-

et. Ra-  
e, ut  
publi-  
Cusat.  
nitate  
qui ejus  
ventis  
honestis  
femine  
falsam  
udant.  
lib. 4.  
Telte  
L. 31.  
turo-  
L. 20. de  
egit. he

WILHELM LUDWELL,  
Elbingâ Borussus, Designatus Juris  
Professor extraordinarius.

Ad diem 12. Martij.

ANNO CHRISTI

M. DC. XXXI.

18050

ALTDORFNI

E Typographia Balthasaris Scherffij,  
Universitatis Typographi.

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis &  
Prudentissimis*  
VIRIS,  
DNN. CONSVLIVS  
& Scholarchis, cæterisq; Senatori-  
bus inclutæ Reip. Noriber-  
gensis,

*Dominis ac Patronis suis perpetuo observantia  
cultu prosequendû,*

Inauguralem hanc Disputationem in grati animi  
signum & ulteriorem studiorum suo-  
rum commendationem

Offert ac dedicat

AUTHOR.



DISPUTATIO  
De Quinquaginta Justiniani Deci-  
sionibus.

THESIS I.



Requens est apud Interpretes quinquaginta  
decisionum mentio; sed quænam eę sint, quive illarum  
effectus, non satis expeditur.

II.

Nos igitur. Deo clementer adjuvante, inaugurali hac Disputa-  
tione, quantum fert temporis, quo circumscribimur, angustia. in  
ista inquirere conabimur.

III.

Promulgatę sunt hæ Decisiones à Justiniano Imp. nostro Sacra-  
tissimo. *Const. Cordi nobis. §. postea vero. i. de emend. Codic. Opera &  
ministerio Triboniani, viri excelſi §. fin. Inst. de libertin.*

IV.

Ansam præbuerunt varię veterum Jurtorum altercationes & cona-  
troversię, quas in libris eorundem repertas, hiscẽ Decisionibus dia-  
remis & decidit, d. *Const. Cordi, §. i. & d. §. fin. Inst. de libertin.*

V.

Quod factum iisdem temporibus, quibus Pandectę & Institu-  
tiones composite sunt: videlicet Lampadio & Oreste VV. CC. Coss.  
post Consulatum Lampadii & Orestis, & post Consulatum Lampa-  
dii & Orestis anno secundo, id est, 4. 5. & 6. Imperii Justiniani anno.

VI.

Idq; partim ex subscriptionibus, partim ex inscriptionibus satis  
patet. Nam quę sine die & Cos. extant, vel ad Julianum, vel Johan-  
nem Præfectos Prætorio scriptę sunt, quos Lampadio & Oreste  
Coss. vel postea Præfecturam Prætorianam gessisse constat, ex *l. cum*  
*questio*



questio 23. & seqq. C. de legat. l. cum quidam 4. C. de necessar. serv. hered. instit. l. pen. & ult. C. de implub. & al. substitut. Egum. Baro de quinquaginta Decis.

VII.

Potuissent quidem statim post priorem Codicem, qui 7. Id. April. Decio Cos. anno Imperii Justin. 3. editus est, Decisiones quædam promulgari: sed nullam reperiri, ex subscriptionibus probabiliter colligitur. *Emund. Merill. in explic. quinquag. Decision.*

VIII.

Post Pandectas autem & Institutiones editas, nullæ ex 50. Decisionibus promulgatæ sunt: quippe illæ Justiniano P. A. III. Cos. anno Imperii 7. Institutiones quidem 11. Calend. Decembr. Pandectæ 17. Cal. Januar. at Decisiones hæc 4. 5. & 6. Imp. anno editæ sunt, ut dictum.

IX.

Sed & prius aggressus est Imp. Decisiones, quàm Digestorum compositionem, ut collatio l. 1. C. de commun. serv. manumiss. cum *Const. de concept. Digest.* ostendit: quarum illa Calend. April. Lampad. & Orest. Cos. hæc vero 18. Cal. Januar. iisdem Cos. promulgata est.

X.

Differentia Decisionum & aliarum Constitutionum Justinianis, non ab inscriptionibus & subscriptionibus petenda est, quod facere videtur *Alciat. 6. Parerg. 24.* quoniam & Constitutiones plurimæ ad Johannem & Julianum P. P. scriptæ, & eodem tempore, quo 50. Decisiones editæ fuerunt, *d. Const. Cordi. §. 1. de emend. Cod.*

XI.

Sed ex eo, quod veterum Istorum controversias de juris aliquo articulo memorent & mox decident. *d. §. fin. Inst. de libertin. Equin. Bar. & Merill. ad. loc. Sichard. ad l. fin. C. de furt. n. 1.*

XII.

Interim tamen non omnes Constitutiones, quæ altercationes Juris veteris componunt, hisce 50. Decisionibus rectè annumerantur; sed ex demum, quæ post primi Codicis editionem promulgatæ sunt, *d. Const. cordi. §. 1. de emend. Cod.*

13. Sic

**XIII.**

Sic *l. ult. C. quond. tutor. vel curator esse desin. & l. magnam 12. C. de contrab. stipul. ex 50. illis non sunt, cum editionem prioris Codicis præcesserint, ut ex subscriptionibus liquet.*

**XIV.**

Multò minus huc pertinent reliquæ Constitutiones novæ, quibus *Iustinian.* Jus antiquum emendavit, dubium interpretatione supplevit, superfluum coarctavit, vel differentiam aliquam sustulit. *Emund. Merill. d. lo.*

**XV.**

Sed nec quasvis Juris antiqui controversias, verum solas species tractatas, & inter *JCtos* veteres controversas, hæc decisionibus *Iustinian.* componere voluisse videtur, ut rectè *idem Merill.* docet.

**XVI.**

Hinc in decisionum numerum referendæ non sunt, quibus juris controversiæ non circa speciem aliquam, sed generaliter tolluntur: veluti circa petitionem hereditatis, *l. ult. C. de petit. hered. nudum Jus Quiritum, l. un. C. de nud. jure Quirit. toll. præscriptionem longi temporis, l. ult. C. de præscript. long. temp. missionem in bonorum possessionem rei servandæ causa, l. ult. C. de bon. auth. judic. possidend. novationes, l. ult. C. de novat. autoritatem curatoris furiosi, l. ult. *Sym. autem C. de Curat. furios.**

**XVII.**

Quemadmodum nec ea, quibus in judiciis aliqua contentio deciditur; ut in *l. ult. C. de natural. lib. l. 1. & ult. C. de annali excepti. l. ult. C. de adific. privat. l. ult. C. qui bon. ced. poss. l. ult. C. de contrab. stipul. l. ult. C. de donat. caus. mort.*

**XVIII.**

Aut inter Advocatos *Illyriciana, Palæstina & Casariensis* advocationalis aliqua dirimitur, *l. ult. C. de pact. l. ult. C. de advocat. divers. judic. l. ult. C. de V. S. l. si major. 12. C. de legir. hered. l. ult. C. unde vi. l. pen. C. de sideojuss.*

**XIX.**

Fuisse autem decisiones 50. editas, certum est ex *d. Const. Cordis*  
*A 3* *S. 1. de*

§. 1. de emend. Codic. ratione fortassis ad 50 Digestorum libros habitā; quas postea in unum corpus redactas, conjicit *Merill. arg. l. un. §. bis itaq. 10. C. de caduc. toll. §. qua de fullone 16. Inst. de obligat. qua ex delict. d. §. fin. Inst. de libert.*

### XX.

Sed annon pauciores vel plures Codici *Iustinian.* insertæ fuerint, admodum dubium est. Ad hoc posterius inclinat *Merill.* Nos id in medio relinquimus.

### XXI.

Decisiones ipsas collectas recenset *Eguin. Baro. Merill. & alii* verum aliter atq; aliter. Nos *Merill.* sequemur, qui accuratius rem expendisse videtur: quamvis & ipse fateri cogatur, pro certo se affirmare non posse, quod ea omnino sint, quas *Justin.* se edisse testatur.

### XXII.

Quinquaginta ergo Decisiones ex mente *Merill.* ha sunt. l. ult. C. de negoc. gest. l. ult. C. Qui & advers. quos restit. in integr. l. 12. l. 13. l. 14. l. 15. l. 16. l. ult. C. de usufr. l. ult. C. de servit. & aqua. l. ult. C. de reb. cred. l. pen. l. ult. C. de condict. in deb. l. ult. C. per quas person. nob. acquir. l. ult. C. ad SCim. Macedon. l. ult. C. ad SCr. Vellejan. l. ult. C. de contrah. emt. l. ult. C. d. pact. inter emt. & vendit. l. 24. l. 25. l. 26. C. de nupt. l. ult. C. de dot. promiss. l. ult. C. arbitr. tutel. l. 6. C. de Curat. furios. juncta l. 9. C. Qui rest. fac. poss. l. 20. l. 21. C. de furr.

### XXIII.

Item l. ult. C. d. r. l. pen. l. ult. C. de impub. & al. subst. l. ante pen. l. pen. C. de necessar. serv. hered. inst. l. pen. l. ult. C. de postb. hered. inst. l. 29. l. 21. C. de jure deliber. l. 23. l. 24. C. de legat. l. 4. C. de V. S. l. pen. C. de fideicommiss. l. ult. C. de condic. in cert. l. ult. C. ad SCr. Orfic. l. 24. l. pen. l. ult. C. de fideicom. libertat. l. 1. l. 2. C. de commun. serv. manumiss. l. ult. C. de acquir. poss. l. ult. C. de Pratorio pign. l. ult. C. de remiss. pign. l. veteris. 13. C. de contrah. stipul. l. pen. C. de adopt.

### XXIV.

Finis illarum est commodum propositi operis, ut compilatores in componendis Pandectis, & enucleando jure antiquo, remotis controversiarum & altercationū impedimentis, tanto felicius progredi possent. d. *Const. cordi. §. 1. de emend. Codic.*



XXV.

Effectus est controversiarum istarum decisio & juris antiquae emendatio. Non quidem illius, quod in Pandectis hodie extat, ut putant *Duar. in Proleg. ad ff. c. fin. Eguin. Bar. d. tr. & ad Proem. Inst. §. fin. & Dd. magis commun.*

XXVI.

Hoc enim jam ante 50. hisce Decisionibus emendatum, atq; ita demum in Pandectas relatum est, *d. Const. Cord. §. 1. neq; possunt hæ Decisiones tanquam priores, posteriores leges Pandectarum corrigere, arg. l. fin. ff. de const. Princ.*

XXVII.

Sed illud quod ante compilationem Digestorum in veterum Istor. scriptis reperiebatur, ut rectè *Franc. Gratian. de Garzat. de consular. leg. ff. & C. & Giphian. in Prefat. special. ad Cod.*

XXVIII.

Non corriguntur itaq; *l. 1. pr. & §. 2. l. sicut. 3. pr. l. excepta. 14. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. per l. pen. C. de ususfr. & §. finitur. 3. Inst. eod. ut Eguin. Bar. d. l. Wesemb. in c. ff. d. t. Quib. mod. ususfr. amitt. n. 3. & alii existimant. Quod enim in *dd. ll. simpliciter traditur capitis deminutione usumfructum perire, ex d. l. pen. de maxima & media intelligendum est.**

XXIX.

Neq; *l. si sic. 7. ff. Quemadm. serv. amitt. per l. fin. C. de servit. & aqua: ut rectè docet Franc. Grat. de Garz. d. tr. lib. 2. n. 11. Quemadm. modum nec l. quod si deferent. 21. ff. de dolo. cum similibus. per l. fin. C. de reb. credit. quoniam ibi causa jurejurando decisa, ob perjurium retractatur speciali favore ultimarum voluntatum, quas exitum fortiri publicè expedit, *l. vel negare. 5. ff. Test. quemadm. aper. Don. ad §. nem si quis. 11. Inst. de action. n. 4. Bronch. cent. 2. ass. 26.**

XXX.

Sic *l. pen. C. de condict. indeb. non corrigit l. si non sortem. 26. §. ff. decem. 13. ff. eod. ut vult post alios Sichard. ad d. l. pen. n. 2. Treutl. vol. 7. D. 22. ib. 4. lit. D. ibiq; Bach. Sunt enim diversi casus; in d. l. fin. per ignorantiam utrumq; solvit; in d. l. 26. §. pen. verò, sciens se habere alterna-*

alternativam solvendi facultatem. *Franc. Grat. d. lib. 2. n. 14.* Vel dicendum in *d. l. 26. §. pen. ex pacto adjecto*, apud creditorem initio quoque electionem, fuisse, *arg. l. si stipulatus. 76. & l. fin. pr. ff. de V. O. Giph. ad l. pen. C. de cond. indeb.*

### XXXI.

Nec *l. fin. C. de pact. inter emi. & vend.* derogat. *l. pen. ff. de pact.* quamvis id putet *Eguin. Bar. d. loc.* Nam in *l. pen.* nudum pactum est, quo nemo sibi actionem querere, *l. iurigeni. 7. §. sed cum 4. ff. d. t.* aut alium cum nihil interfit, adstringere potest, *arg. l. stipulatio. 18. ff. de V. O.* ac in *d. l. fin.* pactum venditioni, vel alienationi in continenti adjectum, adeoque etiam ad agendum efficax, *d. l. 7. §. 5. cum qui vis rei suae legem, quam velit, dicere possit, l. in traditionibus. 48. ff. d. r. l. 10. C. eod. Gloss. ad d. l. fin. C. de pact. inter emi. & vend.*

### XXXII.

*L. si ut certo 5. inf. & dua ll. seqq. ff. commod. l. cum qui 14. §. si vel 13. cum seqq. ff. de furr. & similes.* quae commodatario actionem furti tribuunt, non corriguntur per *l. fin. C. De furr.* utpote quae id non negat, sed commodatario tantum dominum praefert, ipsique electionem concedit, *Giph. add. l. fin. C. de furr.*

### XXXIII.

*L. Si pater. 9. ff. de vulg. & pupill. sub.* non abrogatur per *l. ult. C. de impub. & al. substi.* ut ex recentioribus nonnulli volunt: quoniam casus & formulae substitutionis in iis diversae sunt. Nam in *d. l. 9.* ita substitutio facta videtur: quos mihi heredes institui, ii & filio meo heredes sunt: eidem & Sempronius heres esto: ac in *d. l. ult.* hoc modo: quisquis mihi heres erit, una cum Cajo, filio meo heres esto. *Giph. ad d. l. ult. C. de impub. & al. substi. Franc. Grat. de Gariz. d. lib. 2. n. 25.*

### XXXIV.

*L. Commodissime 10. ff. de lib. & posth.* non corrigitur per *l. ult. C. de posth. hered. inst. ut Balauin. & Cuj.* volunt, teste *Giph. ad d. l. ult.* Si quidem & hic casus diversi sunt. In *d. l. 10.* simpliciter testator dixerat, si mortuo me, vel post mortem meam, filius natus fuerit; ideoque vivo ipso natus pro praeterito habetur & testamentum rumpit, quia in haec casus nascitur, qui non est comprehensus testamento: in *d. l. 10.*

d. l. ult. vero testator non simpliciter mortem, sed & spacium rō-  
mensium complexus est. Quod cum tam vivo, quam mortuo testa-  
tore, compleri possit, uterq; casus hac institutionis formula com-  
prehensus intelligitur. *Giph. & Gloss. ad d. l. ult. C. de posth. hered. instit.*

XXXV.

L. *questum* 40. cum duabus seqq. non abrogatur etiam per l. *qui-*  
*dam*, 20. C. de jure delib. quod nonnullos voluisse testatur *Gloss. in d. l. 20.*  
Continent enim *dd. ll.* tantum distinctionem, ut si quis ex parte insti-  
tutus fuerit à patre, possit repudiata licet paterna hereditate, nihilo-  
minus pupillarem consequi: Si vero ex asse scriptus fuerit, non  
possit. *Gloss. ad d. l. ult. ibiq; Giph.*

XXXVI.

Nec l. *interdum* 13. §. *sed si*, 4. ff. de hered. instit. per l. *cum questio-*  
*23. C. de legat.* correctæ est: cum species sint dissimiles. In d. l. *fin. u-*  
*ni* torus as ab initio relictus est, postea interjecto aliquo intervallo,  
alteri demum semis; quæ temporis separatio ac distinctio arguit tes-  
tatorum priori 6. uncias detrahere & in posteriorem conferre vo-  
luisse. At in d. l. 13. §. 4. statim uni post alterum relictum est; quo  
casu hæc voluntatis testatoris interpretatio admitti non potest, ut  
rectè *Giph. ad d. l. 23. C. de legat.*

XXXVII.

L. *si de eo*, 40. §. *si forte*, 1. ff. de acquir. poss. per l. *ult. Cod. eod. corrigi,*  
perperam asserunt *Dd.* quoniam lectio d. l. 40. §. 7. dubia est, quædam  
enim exemplaria habent, idem existimandum ait, monente *Gl. ad d.*  
*l. 40. in dubiis autem lectionibus eam sequi, quæ vitio caret, incivi-*  
*le non est, arg. l. in ambigua*, 19. ff. de ll. Facit quod hanc lectionem &  
contextus ipse, & l. 3. §. *si quis*, 8. in fin. l. *si id*, quod, 25. §. 1. ff. d. r. satis  
apertè confirmet. *Franc. Grat. de Garz. d. rr. lib. 1. p. 10. Giph. ad d.*  
*l. fin. Cod. de acquir. poss. n. 14.*

XXXVIII.

L. *centesimis*, 46. §. 1. ff. de V. O. per l. *veteris*, 13. C. de contrab. stipul.  
correcta non est. Illa enim tale factum continet, quod certam præ-  
cisè personam respicit, neq; per aliam personam impleri potest;  
hæc vero de ejusmodi factis intelligenda est, quæ pecuniâ per alios  
æquè commodè impleri possunt, puta de insula, monumento, vel  
alio opere, suis sumptibus faciendo, arg. l. *un. §. ne autem hoc*, 9. C. de  
caduc.

aduc. roll. Gloss. ad d. l. 13. C. de contrab. stipul. Franc. Grat. d. tr. lib. 2. n. 36.

XXXIX.

Deniq; nec *l. qui liberatus*, 12. ff. de adopt. derogatum est per *l. pen. in f. princ. C. eod.* Nam *d. l. 12.* loquitur de eo, qui liberatus patria potestate, sui juris factus est: at *d. l. pen.* de eo, quia ab avo vel proavo adoptatus, adeoq; sui juris effectus non est, cum adoptione hoc non agatur, ut quis sui juris fiat, sed ut in potestatem & familiam patris adoptivi transeat, §. *sed hodie*, 2. Inst. de adopt. §. *sed si*, 8. Inst. Quibus modis jus. p. p. solo.

XL.

Idem dicendum & de aliis plerisq; novis *Iustin.* constitutionibus, videlicet nec eas legibus Pandectarum vel prioribus Codicis rescriptis derogare: quamvis id velit. *Duar. in proleg. ad ff. c. fin. & Equin. Bar. d. tr. qui Institutionibus quoq;*, in quas argumenta dd. Constitutionum & Decisionum conjecta sunt, eandem vim tribuunt.

XLI.

Nam & hæ constitutiones omnes ante Pandectas promulgatæ sunt, quinq; ill. exceptis, *l. fin. Cod. de off. Pref. Pret. Aff. l. ult. Cod. de jur. jur. propter calumn. l. ult. Cod. de testam. l. ult. Cod. de legit. hered. l. un. Cod. de cad. roll.* quas post Pandectas, eodem vid. anno, quo Codex repete perfectiois, editas esse ex subscriptionibus illarum colligitur.

XLII.

Sed nec illis tamen quicquam in Pandectis vel Institutionibus corrigi videtur; nisi nominatim facta mentione, ut in *d. l. fin. C. de legit. heredibus*, quæ tanquam posterior §. *hoc etiam*, 2. Inst. de legit. agnat. success. & §. *qua parte*, 1. Inst. de succ. cognat. in quibusdam derogat. *Giph. in prefat. spec. ad Cod. Franc. Grat. d. tr. lib. 1. n. 4. Bach. ad d. §. 1. Inst. de success. cogn.*

XLIII.

Hiscæ jam consequens est, *l. pen. ff. de offic. assess.* non corrigi per *l. fin. princ. C. de assessor. ut Baro d. tract. illic. Omm. D. ad process. 2. lib. 2. n. 7. & Dd. magis com.* existimant. Nam aliud est tractare negotia aliena tanquam advocatum in suo vel alieno auditorio, quod prohibitum *d. l. fin.* aliud tractare sua negotia in alieno auditorio, quod concedit, *d. l. pen. Pac. cent. 1. q. 55.* 44. Sic

XLIV.

Sic nec l. qui in potestate. 6. §. 1. ff. qui test. fac. poss. per l. discretis. 10. C. eod. abrogata est, ut Treut. d. vol. 2. D. 10. th. 3. lit. E. ibiq. Bach. & Dd. comm. volunt. Quod enim in d. l. 6. mutum & surdum testamentum facere non posse traditur, secundum distinctionem d. l. 10. Cod. eod. accipiendum est. Adde Franc. Grat. de Garz. d. tr. lib. 2. n. 23.

XLV.

L. unic. Cod. si adversus usucapion. quoq; per l. fin. Cod. in quibus causis in integr. restit. necess. sublata non est: quoniam illa de prescriptione & usucapione, contra majorem cæpta loquitur, quæ contra minorem continuatur, sed per restitutionem in integrum postea rescinditur: hæc verò de eà quæ contra minorem cæpta est, ideoq; ipso jure minori non currit. Adde Giph. ad d. l. fin. Cod. in quibus causis restit. in integr. & Franc. de Garz. d. tr. lib. 2. n. 1.

XLVI.

Nec l. ad actionem, 6. Cod. de dot. promiss. per l. 1. pr. Cod. de rei ux. act. mutata dici potest, licet hoc velit. Gloß. ad d. l. 6. Conn. §. comm. 3. n. 1. Bach. ad Treut. vol. 1. Disp. 6. th. 2. lit. D. Nam d. l. 6. est de actione, quæ marito datur ad dotem sibi promissam petendam, conditione vid. ex lege, cum hoc pactum hodiè legitimū sit: d. verò l. 1. de actione, quæ uxori competit pro dote, soluto matrimonio, re-petenda. Giph. ad d. l. 6. Cod. de dot. promiss. Treut. d. th. 2. lit. D. ibiq. Hunn.

XLVII.

Nec; l. ubi adhuc. 29. Cod. de jure dot. per l. fin. C. qui potior. in pignor. derogatum est, uti putat Bach. ad Treut. vol. 2. D. 24. th. fin. lit. B. Ejus enim sensus hic est, mulierem preferri omnibus creditoribus quamcunq; hypothecâ pretendant: nisi fortè potius aliquod jus, aut privilegium habeant, ut fiscus in causâ primipili, & liberi in exactione dotis maternæ. l. satis notum. 4. Cod. in quib. caus. pign. vel hypothe. tacit. d. l. ult. §. 1. v. exceptis. Cod. qui potiores in pign. Addi possunt de hæc quæstione Myns. cent. 4. obs. 13. Fach. 3. controv. 99. & 10. controv. 35. Vacon. à Vacum. 6. declar. 92. Treut. d. th. fin. lit. B. ibiq. Bach. Bernb. Greven. lib. 2. Pract. conclus. 25.

XLVIII.

Idem in aliis lustin. nostri novis constitutionibus ostendi posset. Sed temporis & instituti ratio nos hîc filum abrumperè cogit. Videri potest Fr. Grat. de Garz. d. tr. ubi plures Cod. leges cum text. ff. conciliât.

DEO SOLI GLORIA.

Die nach dem Jahr 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700

Die nach dem Jahr 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700

Die nach dem Jahr 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700

Die nach dem Jahr 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700

Die nach dem Jahr 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700  
an dem 10ten Junij 1700

D  
Auc  
Sum



Altdorf, Diss., 1599-1633


ULB Halle  
005 607 582

3




TA → OL

WMA







SPUTATIO INAUGURALIS  
De  
**INQVAGIN-**  
**IUSTINIANI DE-**  
**CISIONIBVS,**

*Quam*  
RESIDE DEO TER OPT. MAX.  
Amplissimi Jctor. Ordinis in ce.  
amã Noribergensium Univerſitate,  
NORIBVS AC PRIVILEGIIS DO.  
LIBUS IN VIROq. JURE RITE  
CONSEQUENDIS,

Publico examini ſubjicit  
**HELM LUDVVELL,**  
gã Boruſſus, Designatus Juris  
Profeſſor extraordinarius.

*Ad diem 12. Martij.*

ANNO CHRISTI

M. DC. XXXI.

1800

ALTDORFNI  
ographia Balthaſaris Scherffij.  
Univerſitatis Typographi.

22  
1631 2  
35

